Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1696) liſez 1396

QUÆSTIO MEDICA

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 28. Novembris.

M. JOANNE-BAPTISTA DOYE, Doctore Medico, Præſide.

An, ſi ſuus cuique præſtitutus ſit vitæ terminus, neceſſaria Medicina?

QUÆ ex rerum hujus orbis propè omnium artiumque plurimarum cognitione effloreſcit totius hominis conſervatrix medendi ſcientia, à Deo, cujus eſt munus, præcipuè commendata, nullâ majori infelicitate laborat, quàm quòd, dum benefacit omnibus, malè audit apud aliquos, ſeu tortuoſi, ſeu tardioris ingenii, ſeu ſtudio ad obtrectandum maligno pronos homines; quorum alii incertam & inconſtantem, nonnulli vanam, etiam exterminandam clamitant reliqui; tantus illos inceſſit livor, ſtuporve ſenſus alligat. Cur tamen in hanc cæli filiam ſua jaciant tela, cauſas obtendunt, ſed reverâ inopes aut abſurdas. Quid enim putidius quàm vapparum, imperitorum, & ſceleratorum pro Medicis ſe gerentium culpas ac vitia in ſanctiſſimam artem conferre! vel quòd eam Profeſſi nec ſe ſemper, nec ægrotos omnes ſanent, invictâ vi mali Medicinam eludente; vel ex robuſtiſſimis hominibus gentibuſque aliquot, ſine Medico, at non ſine Medicinâ, optimè valentibus, hujus inutilitatem colligere! Potior una quæ vel in eorum animis qui litteras colunt, trepidationem excitavit.

EST ſcilicet in ore vulgi, nec ſemel ſacris in libris exaratum, penitus eſſe definitum, at uni Deo perſpectum dierum noſtrorum terminum; ultra quem ſuperſtes ſit nemo, niſi ſingulari numinis beneficio, velut olim Rex Ezechias, additis ad vitam annis quindecim. His concinunt rerum Naturalium venatores perſuaſi vivens quodlibet in præcordiis circumferre fatalem & ineluctabilem vitæ metam, pro ſuâ cuique tempeſtie ſeriùs ocyùs contingendam, ut qui ultimo confectus ſenio abſque vi & invaletudine decedit è vivis, fato moriatur; qui gladio incumbens, ruinâve domûs oppreſſus interit immaturus, non ſuo fato pereat; niſi placet id ejus fuiſſe fatum, communi fato non perire. Unde ſi cauſæ cauſis nexæ rem ex ſe gignunt tramite immutabili, nihilque ſanitati poteſt apponi; parùm intereſſe aiunt, te tuamque valetudinem credas abundanti doctrinâ Medico, an medicaſtro, ſciolo, veteratori, nulliuſve opem implores: quæ omnia mentis oculis limpidiùs intuenti, miſeratione an & ratione diluenda?

PLEBS quæ & deſipit, cum maximè ſapit, minùs audienda. Sua verò ſtat fides codicibus ſacris, ſed prudenti hîc intellectione temperandis. Equidem cæli decreta clavis ſunt adamantinis fixa; cùmque nihil fiat quod non ab omni æternitate certum fuerit rato tempore futurum eſſe, nec falli poſſit divina providentia, neceſſariò eveniunt, quæcunque fiunt, ſi ad prævidentem referantur; ſi ad nos, pleraque obſcura, dubia, & caſu contingentia. Sic fortunam cæcam cæci ipſi nominamus; quaſi temerè peragantur quorum rationem non capimus, ac non arcano conſilio proficiſcantur ab extraordinariâ Dei gubernatione. Hoc loco res eſt. Summus rerum opifex, cui nihil non patet, ei ſimilis qui è ſpeculâ cernit viatorem lapſurum in graſſatorum inſidias, contuetur quid ſis totâ vitâ facturus, quid cogitaturus, nullâ impoſitâ agendi neceſſitate, ne tua cælo aſcribas facinora. Quòd te ſceleſtum turpiter caſurum præcognovit, non tui eſt author exitii, minimè, quòd præviderit, futuri; ſed ideò prævifi, quia futurum eſt. Cur futurum? quoniam voluiſti; voluntatis effector Deus; tu pravæ, tu honeſtæ; illo ſuadente, pulſante, incitante; non cogente. Quomodo autem, ut ſua cuique fataliter præfinita ſit mortis hora, cibum ac potum, quibus ſpiritus ſuſtinetur, aſſumimus, demenſque ſit qui repudiet; ita qui Medicinam, per quam vivimus, ſalubriterque vivimus. Quæ ſcilicet fecit, tuetur per ea quæ fecit; miſſiſque jam miraculis, nos dedit regendos naturæ, quæ poteſtas eſt ejus ordinaria, aliter divina vis toto orbe diffuſa, per quam generat ſervatque omnia. Cave tamen hanc cum Deo confundas, effectum cum cauſâ, ordinem cum ordinante, miniſtram cum Domino.

PENSA quoque res Philoſophicâ lance ſub aſpectum ponitur. Ab interitu celeriori vendicatur vivens, dùm cura eſt, ne calor Nativus præter modum augeatur; cuique inſidet ſalutare humidum præproperè minuatur; quod arte fieri palam eſt. Herbæ ſiquidem in cellâ calidove loco ad ver uſque repoſitæ, à frigoris injuriis nunquam alioqui ferendis perdiù defenduntur; Et aprico in loco conſitæ arbores fructus uberiores multò citiùs ac celeriùs edunt, quàm in opaco frigidoque depactæ: illis folia in mediam hyemem retinentibus, & antè proferentibus quàm hæ gemmas emittant: aliatum verò folia, fructus, & ſemina contrariis ex cauſis tardiùs procreari, vel rudioribus exploratum. Quæ porrò ars in homine comprimit adauctum calorem, impeditque ne juſtò celeriùs ſuum depaſcat humidum, Medicina eſt, ad depulſionem morborum ipſum humorem abſumentium perneceſſaria. Ecquem etiam fugit valentiſſimos homines diſſoluto victu ſibi ægrotationes & præmaturam mortem accerſere; profligatæ valetudinis alios, cautâ vivendi ratione, dextroque remediorum uſu ad ſummam pervenire ſenectutem. Quod & certiùs aſſequuntur ferreis viſceribus præditi, cum ſe Medicinæ legibus obligari patiuntur. Inſulsène igitur Abderites ille cunctis hominibus addiſcendam monebat, quòd ejus utilitate conſtet omnis vita.

MALE veteres merebantur de Medicinâ, cui fictis fabulis famam conficiebant à revocatis in lucem mortuis: quantulùm, quæſo, diſtant ab invicem mortuum reſtituere, aut è faucibus orci erutum ad ſanitatem reducere. Vitam, quod eſt optimum, largitur Deus, dum in humano corpore creat animam: at hanc ipſam quoties mox efflandam retinet Medicus, nonne totum recreat hominem? qui præſenti auxilio amovet aſthma, orthopnæam, anginam, catarrhum præcipitem, ſyncopem, ſtuporem muliebrem, ſanguinis ictum, aut profuſionem immodicam, ſimiliaque mala, à quibus cita mors; an non æquè huic occurrit, ac qui lapſum in ignem puerulum incendio eripit? Tanta res eſt Medicina, eâ ut necdum geniti egeant, naſcique faciat, quos, ne naſcerentur, natura prohibebat. Et Miraris Pythoniorum turbam de explodendis cæteris artibus diſputantem huic uni pepercisse. Fons ipſe veritatis jam pridem edixit Medicum & medicamenta propter neceſſitatem à ſe condita ſapienti neutiquam aſpernanda, incaſſum alioqui tantâ copiâ genita. Nimirum iis brutæ animantes ſolo naturæ inſtinctu ſibi medentur; Et ad ſanandum hominem, cui deſtinata ſunt, nihil pertinebunt? Qui eximiam hanc ſcientiam infra ſe non duxerunt Reges, Prophetæ, Apoſtoli, Evangeliſtæ, Angeli, Chriſtuſque ipſe, à quo in divinitatis teſtimonium haud minima vitæ pars malè habentibus relevandis impenſa, quanto in uſu & honore eſſe debeat, cumulatiſſimè demonſtrarunt.

Ergo, ut ſuus cuique ſit præſtitutus vitæ terminus, neceſſaria Medicina.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus Daquin, Regis Medicus perpetuo ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.
M. Petrus Yon.

M. Antonius de Sainct-Yon, Regis Medicus ordinarius.
M. Ioannes Robert.
M. Ludovicus Gayant, Regis Medicus ordinarius.

M. Edmundus Charrier.
M. Raphaël Maurin.
M. Petrus Creſſé.

Proponebat Lutetiæ FRANCISCUS-FAUSTUS ALLIOT, Pariſinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1686.